

**Decreta Facultatis Medicinae  
Parisiensis Circa Exercitationes  
Anatomicas & Chirurgicas, à  
Baccalaureis deinceps propriâ manu  
in Cadavere celebrandas, Lata M.  
Hyacintho Theodoro Baron Decano.**

***s.d..***

***[Paris] : Typis Quillau,  
Universitatis & Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2327 n°111***



# DECRETA

## FACULTATIS MEDICINÆ PARIENSIS


Circa Exercitationes Anatomicas & Chirurgicas,  
à Baccalaureis deinceps propriâ manu in Cada-  
vere celebrandas,

*Lata M. HYACINTHO THEODORO BARON Decano.*



ANNO Domini millesimo septingentesimo trige-  
simo secundo, die Sabbati vigesimo secundo  
Martii, horâ decimâ matutinâ post Sacrum, co-  
ram Facultate legitimè per schedulam convocatâ  
dixit Decanus, jam pridem, Decanatum agente M. Nicolao  
Andry, à Facultate pluribus in Comitibus fuisse decretum,  
ut deinceps Baccalaurei Sectiones Anatomicas & Opera  
Chirurgica, in modum examinis probatorii, propriis mani-  
bus, exercere tenerentur; nescire se quo fato Decretum  
illud tam laudabile effectum nondùm sortitum fuerit; vellet  
Facultas decernere, ut harum Exercitationum executio,  
quæ ad Publici, suorumque Baccalaureorum utilitatem plu-  
rimùm conferre valet, non diutiùs protrahatur. Re in deli-  
berationem missâ, rogatisque singulorum Doctorum sen-  
tentiis, Censuerunt omnes Decretum illud, quo Baccalau-  
rei tenentur per licentiæ curriculum Opera Anatomica &  
Chirurgica propriis manibus exequi, confirmandum esse,  
& quantum opus est renovandum, itaut Candidati non  
admittantur ad principium, quin priùs jurejurando promi-

A



ferint ; se huic Decreto parituros : & ut hoc Statutum  
 majori vigeat authoritate , illud in duobus aliis Comitiis  
 esse confirmandum , quod quidem ex unanimi consensu  
 conclusit

H. T. BARON, Decanus.

**I**N Comitiis die Lunæ vigesimâ quartâ Martii habitis, horâ  
 post meridiem tertiâ, pro secundâ vice deliberavit Fac-  
 ultas super Operibus Anatomicis & Chirurgicis, à Bacca-  
 laureis in posterum propriâ manu exercendis, Censuitque  
 standum esse superiori Decreto, & sic conclusit

H. T. BARON, Decanus.

**D**ie Sabbati vigesimâ nonâ Martii, convocati sunt Docto-  
 res omnes in Scholas superiores, horâ decimâ matuti-  
 nâ post Sacrum, de Operibus Anatomicis & Chirurgicis, à  
 Baccalaureis in posterum propriâ manu exercendis, tertio &  
 ultimò deliberaturi. Facultas duo priora super eâ re Decreta  
 Confirmavit, Rogavitque Decanum, ut circa harumce Exer-  
 citationum formam & exequendi rationem, velit ea colligere  
 quæ singuli Doctores inter deliberandum proposuerant, &  
 Articulos componere, quos in Comitiis ad hoc indicendis  
 recenseret Facultas atque comprobaret, & sic conclusit

H. T. BARON, Decanus.

### ARTICULUS PRIMUS.

**N**ullus in posterum Baccalaureus ad Medicinæ licentiam  
 admittatur, nisi intrâ solitum biennale curriculum, Exa-  
 mine Probatorio, peritiæ suæ in Anatomicis & Chirurgicis  
 operibus, propriâ manu, in Cadavere, exercendis, coram  
 Facultate periculum fecerit.

## II.

Harum Exercitationum occasione, non intelligit Facultas Baccalaureos aliis impensis teneri, quam illis, quæ in Examine Chirurgico fieri solebant.

## III.

Baccalaurei omnes, eodem tempore, super humano Cadavere, priore quidem anno sectiones Anatomicas, posteriore verò operationes Chirurgicas, per septem dies continuos, intrà primum Octobris & ultimum Aprilis seligendos, prout Cadaveris obtinendi sese offeret occasio, in Scholis exequantur.

## IV.

Exercitationum Anatomicarum primo & secundo die, Abdomen, ipsiusque Viscera demonstrantur; tertio die, de Pectoris Partibus agatur; quarto, de Capite tractetur; quinto, omnes Corporis Musculi exponantur; sexto, Vasorum & Nervorum distributiones explicantur; septimo, Ossa examinentur: de situ, connexione, structurâ, & usu Partium interrogati Baccalaurei demonstrando respondeant.

## V.

Exercitationum Chirurgicarum primo & secundo die, in Abdomine conficiantur Operationes; tertio, Operationes in Pectore celebrentur; quarto & quinto die, Operationes in Capite perficiantur; sexto & septimo, Artus Chirurgicis Operibus subjiciantur: de causis, signis, eventu, & curatione Morborum Chirurgicâ, de Medicamentorum applicatione externâ; de Instrumentis Chirurgicis interrogentur Baccalaurei, atque Operationis modum, & Spleniorum Fasciarumque applicandi rationem, operi manum admovendo, exponant.

## VI.

Liceat Baccalaureis unum seligere Doctorem, qui hisce Exercitationibus intersit, & Opera dirigat.

4  
VII.

Ut in hisce Exercitationibus ordo quidam servetur, sic designentur Doctores singulis diebus interrogaturi, ut major & minor Ordo in septem partes, quantum fieri poterit, æquales distribuantur, ab Antiquioribus utriusque Ordinis incipiendo, donec ad Juniores perventum sit, & Doctores sic distributi & ordine suo designati, per schedulam peculiarem, de die quo interrogaturi sunt monebuntur à Bidello, virtute præsentis Decreti, ut fieri solet in Actibus Vespertiarum & Doctoratûs.

VIII.

Doctores omnes, unâ vice, de materiâ Examini subjectâ, & die præscripto teneantur interrogare, sub pœnâ privationis Honorarii, in commodum Facultatis convertendi.

IX.

Exercitationum tum Anatomicarum, tum Chirurgicarum tempus, publico Programme, per Urbis Compita affixo, promulgetur.

**A**Nno Domini millesimo septingentesimo trigesimo tertio, die Veneris vigesimo quinto Septembris, horâ decimâ matutinâ, Facultas Medicinæ Parisiensis legitimè convocata, Exercitationum Anatomicarum & Chirurgicarum à Baccalaureis, prope diem, manu propriâ, celebrandarum formam & rationem definitura, præhabitâ maturâ deliberatione, omnibus diligentissimè ponderatis, & rogatis singulorum Doctorum sententiis, præsentis articulos comprobavit, suâ auctoritate munivit, & Statutorum vim obtinere decrevit: ideò Typis esse mandandos, singulis Doctoribus ac Baccalaureis distribuendos, & sic conclusit.

H. T. BARON, Decanus.